

Tabulae Peutingerianae adseruatae in Bibliotheca augusta Vindobonensi; auctore Josepho Heurenbach custode ejusdem Bibliothecae; latine brevius reddita opera Valentini Vodniz lectione publico Poeticae, Geographiae et Historiae, in Liceo Sabacensi, in Carniolia Provincia Illyrici, anno 1809.

Heurenbach succincte redditus e Germanico, ita de hac tabula judicat:

Veritatis amore ductus de Tabula Peutingeriana clicam, quod sentio. — Primo hujus tabulae intuitu quisque aequus rerum aestimator facile videt, ipsam aevo Imperatorum Suevicorum scriptam fuisse, tantumque a temporibus Theodosii, quod quidam persuadere conantur, abesse, ut non gentis circiter annis, serius sit exarata. — Quodsi vero opus ipsum attentius contemplan, tria in illo mihi videor detegere. Primo tabulam esse apographon antiquioris autographi; tum additamenta ei inesse aevo autographi juniora; tertio demum, adjunctas fuisse accensiones bene meditatae imposturae, quibus multo antiquioris aetatis fucum apographus operi suo, quem par erat, allinere studebat. — Omnibus autem accurata consideratione patebit, hanc tabulam non esse primum apographon originarii autographi, sed apographon alterius, licijus apographi sequioris, adeo, ut Tabula nostra decimo tertio aerae nostrae seculo sit adscribenda. — Hae sunt, quae spatio temporis angusti ad scribendum coarctatus, paucis explicam, pauca dein observaturus.

Tabula Peutingeriana est apographon antiqui autographi.

Quum enim scriptor hujus Tabulae sit sequioris ~~qui~~, haud cre-
di potest, hominem adeo rudis seculi, nomina Romana tam con-
cinnato ordine digessisse, uti ipsum fecisse videmus, nisi anti-
quum quoddam exemplar praeculis habuisset. Etsi quidem
concederemus, atque diceremus, eum ex Geographis, Historicis alijs
que ejusmodi adminiculis rem totam conjectura aliqua
adsequutum esse, unde quaso distantias locorum adeo
justas, uti re ipsa sunt, hausisset? Quin quod Martyrologi
et Geographi sequioris, seu medii aevi vix nomina locorum
noverunt. — Sed neque Martyrologia nostra hodierna, etsi jam
exactiora, huic opera conficiendae sufficiunt, quanto ergo mi-
nus sufficere poterant Martirologia Hadonis et Bedae, quae
sola medio aevo praesto fuerant, et nota. Neque acta conci-
liorum, aut historia ecclesiastica, nec tabulae episcopatuum a-
deo erant, exactae, uti nunc sunt. Peutingeriana vero tabu-
la nusquam continet lacunam, verum ubique continua est,
et aequae clives locorum. Neutiquam ergo fructus fragmen-
tarii studii dici unquam poterit. Nam topographia ubi-
que sibi constat; est itaque opus, quod jussu et instituto im-
perationis cujuspiam, mensuras per universum imperi-
um Romanum fieri curantis, fuit confectum. — Quis, amabo
stationes, et distantias nominaque Romana locorum, insula-
rum, urbium et ceterarum fere minutarum tempore illo
sequiori migrationis barbarorum, aut serius medio aevo
tam accurate novisset, et quidem tum, quum pleraque
loca Asiae interioris et Africae in tenebris latuerunt? —
Itaque autographum nostri apographi nequivit esse serius
temporibus Theodosii, seu anno aerae nostrae 399.

Tabula nostra exhibet aedificamenta juniora.

Dea Roma: Dea Populi: non est eadem pictura recedita, qua in antiquis numismatibus; adest laurus, adest corona radiata, adest etiam clipeus Theodosianum duplici serie Margaritarum comam prominentium. Adest vero corona Barbara seculi XIII et XIV, adest umbo, sed non Romanus; verum lapidei molendinarii similior. Quum descriptior noster umbonem non noverit, quo Ottones Saxonici in sigillis usi sunt, profecto senior Ottonibus vixit, et ruditer ea, quorum nullam habuit notitiam in apographo suo depinxit. Puluinar certe, throno impositum, Barbaries mera est, quae in sigillis XII et XIII seculi exhiberi coepta est. — Architectura urbium antiquior quidem, quam Gothica est, attamen junior multo, quam Romana. Tectorum forma, et portae angulares viae aevum XI seculi ad se quuntur. Non desunt item argumenta, quod fuerint usitata aevum Carolingorum. Throni urbium medium aevum sapient. — Donat, va in monetis romanis plane alias nobis exhibent fellas, seu sedes Romanorum. — Adde nomina coloris multo posterioris, qualia sunt Tibori, ad Teglundem, Garonra, hii montes etc. — in Transenna meminere, penes Romam, legere: via Triumphalis, loco: viatrium talis: — Magnitudo Ravenna, quam turres indicant, et muri, signat tempora posteriora seu tempora Exarcharum, ante quos haec urbs nunquam splenduit.

Adiunctae sunt accessiones meditatae in posturae majorum antiquitatis fucum Tabulae huic addinientis.

De Hierosolymis apographus Tabula haec ait: „Antea dicta Hierusalem, modo Helia Capitolina.“ — Latet hic fraus. — Quid haec addnotatio ad mappam militarem faciat, quaerere supervacuum, um arbitror; id solum quaero: estne isthac nota loco suo facta, quantum chronologiam attinet? ... Flaud quam quam.... Hierusalem enim retinuit nomen suum usque ad annum Chr. 134. Ad hunc annum vero Zonaras in vita Hadriani scribit: „Urbem in

Reliqua pro eversis Hierosolymis conditam Aeliam Capitolinam
nominavit, et quo in loco DEI templum olim fuerat, eo in loco post
Iovis lucum condidit. Novum istud nomen haud cliuturno tem-
pore urbs retinuit, paucis enim annis post mortem Imperatoris
idololatris aequae ac Christianis iterum Hierusalem vocabatur.
Quomodo nomen Aeliae Capitolinae congruit cum cetero statu occi-
dentis? Eodem nimirum tempore Ravenna magnificentia exar-
chali praecelluisset? Franzi et Galli supra Lutetiam Parisiorum
sedissent? Divi Petri templum extra Romae muros stetisset? In-
teger adhuc mundus idololorum cultui deditus, simulque res il-
lae, quae dominante Christianismo serius vigeabant, jam pri-
dem obtinuissent? Iovis templo et lucu integro licuisset, in map-
pa jussu imperatoris confecta, verba sequentia inserere: „De-
sertum, ubi 40 annis erraverunt filii Israel ducente Moyse“?

— Quis itaque prohibebit dubitare, an non apographus no-
ster, quum Hierusalem modo, id est aëvo suo, Aeliam vocari di-
xisset, posteris imponere voluerit, ut crederent, opus suum mul-
to antiquius esse, quam re ipsa sit?

Diximus hactenus, quid Tabula Peutingeriana non sit, dica-
mus jam, quid ipsa forsitan sit. — Scaliger autumat, eam esse o-
pus cujuspiam Christicolae. — Ego! Quid hoc? — Alii critici autu-
marunt, eam esse eandem ipsam, de qua Annalium scriptor sol-
maricensis apud Ursticium Tomo I. p. 2 ad ann: Chri: 126/me-
minit hisce verbis. „Anno MCCLXV mappam mundi descrip-
si in pelles duodecim pergameni.“ Quibus verbis innixus,
editor Tabulae Peutingerianae, Dominus de Skeyb, ita e-
nuntiat: „Quasi lata sic esset sententia et auctorem et ae-
tatem Authentici nostri Peutingeriani in hisce vocabulis
latere. Non nego quidem pellibus conglutinatīs quoque con-
stare Tabulam Peutingerianam, quum tamen haec in fascia
longissimae, illa vero mappae fortassis quadratae formam

concinnatae fuerint, praeterquam, quod Augusta hac tabula no-
 stra undecim fere aequalibus et integris pellibus conglutina-
 tis nullibi deficiente termino vel limbo compacta sit, uti ex
 consilio destinato ad explorandam huius rei veritatem eas
 diligenter inopexi et observavi, idcirco necessaria consequitione
 concludo mappam illam Colmariensis Anonymi a nostra
 Peutingeriana infinitis parasangis distare ac distingui. —
 Commentator itaque fatetur, hanc mappam cum Colmariensi
 convenire in eo, quod ambae pellibus conglutinatis constant; in-
 tercedere vero inter eas hoc solum discrimen, quod Colmarien-
 sis duodecim, Peutingeriana vero undecim pellibus constet: de-
 inde quod illa fortasse quadrata sit forma, haec vero volumi-
 nis. — Fortasse? quid hoc? num haec minutiae infinitae sunt
 parasangae? Qui scis Colmariensem fuisse formae quadratae?
 — Jam vero Colmariensis duodecim constabat pellibus, nostra
 vero undecim: quid ad haec respondebimus? Nil aliud, quam
 quod nostra non sit integra, et quod forsitan pellis una de-
 sit, quae Colmariensi non deerat. — At Editor noster ait, Vin-
dobonensi nil deesse etc.: nullibi deficiente — limbo. Sane res
 se habet infinitis parasangis aliter, quam Scheyb dixit, nam
 videns est, nostrae pellem deesse unam, et quidem Hispaniae
 Romanae, Lusitaniae, atque potioris partis Britanniae, Hadriani
 temporis notissimae, et jam ductum confectae provinciae Roma-
 nae, viis stratis haud carentis. Dices forsitan: consilio omis-
 sas, dicam, sed pellem amissam. Vide, amabo, segmen-
 tum primum! Lincae, fluvii et nomina ad partem occidenta-
 lem non sunt integra, sed anteriora quaequam desiderantur.
Scampenses putat, errans editor, novum esse, et haec tenus ei-
 dem incognitum populum. Si hoc valeat, habebimus item
Aquitanae loco novam provinciam Itaniam. Ergo nostrae de-
 est pellis et quidem una: nostraeque totidem constitit pel-

libus, quot Colmariensis. Etne igitur nostra eadem cum Colma-
riensi? Non ausim affirmare, quoniam et apographon ejus esqueat.
Siquidem errores descriptoris consideramus non restat nobis du-
bitum, hunc fuisse hominem rudem, et quidem adeo, ut ejus aber-
rationes nequaquam auctori queant imputari. Errores 12 et 13 scilicet
li. et discrimen inter literas M et N in eo erant posita, quod M
ab N nil differet, nisi quod M cauda deorsum descendente ab N
distinguebatur. Si itaque H loco K invenio, id est M loco K, fa-
cile vel modicum latine lingua gnarus conjiciet, descriptorem
nostrum non fuisse auctorem Tabulae. Ut hoc animadvertas, vi-
de Segm: VIII. 2. Hic lacus Tritonum. Hic montes subjacent palu-
di simili meotidi perquem nilus transit. Viden H loco M?— Ibi-
dem (litera E:) exemplo sit descriptio, in qua hariole tibi opus
sit, ut eljudices, an m sit, an n, aut nt, aut m, quod quidem
m re ipsa est. Sic item ad Scrofulas fore ad Scrofictas facile
leges, et Bolodurum facile Bolodunum; sic Ewandria facile Eoa-
thia tibi legetur. Saepe descriptor signum obbrexationis trans-
currit, cum Augusta Viromanduorum loco Viromanduorum; Mad-
lud: Loco Stanaco invenis Stailuco; vapineum loco vapincium;
jam Ritumagus, mox supra Ratumagus, loco Rotomagus; Nudic-
um loco Noviomum. Ob interjecta flumina haud bene legit de-
scriptor nominum, fluminis cursu, discretas literas; exemplum
habet in vocibus Viatrium Talis, loco Via Triumphalis; saepe vero
voces discretas ob nimiam vicinitatem literarum in unam vo-
cem conjunxit, cum Colcisindoy, quod est: colchis Indorum, vel
Colchis Indica: Quid quod loco Ponte Scaldis scripserit Pontes Cal-
dis? et Persepoliscon, loco: Persepoliscon mercium Persarum; ubi in-
fra linea secunda addidit: mercium Persarum; loco aguo falisco vel
agui falisci, scribit: aguo falsico; et alibi mixtim invenimus
confusas voces: ad speluncas Scinaloas XIII judeorum augusti.—
— Verum et editorem nostrum in super audiamus, qui inter cete-

ra haec scribit: „Non obscura divinatione conjectandum esse
puto, quod auctor tabulae nomina gentium trans Rhenum, et
trans Danubium, non verositus et habitationes illorum nove-
rit, adeoque earundem denominationes consulto, et dedita ope-
ra perturbato characterum, et literarum ordine, quasi calamo
rerum ignaro in tabula coniecerit. Siquidem id luculente patet
ex initio primi segmenti ad officia Rheni, ubi varii populi hoc
modo designantur MABI. VARI. VARI. CRIPSTINI.
CHAMAVI, GUEL. PRANCI et circa Vindobonam ad
Danubium ex vocibus. GUADI, et LIVI, quas hoc modo scri-
bit: Gi Vu Ac Do IGI. — Si haec sententia valeret, neque nostri
hodierni Geographi scirent, ubi sit Germania, Stiria et Carin-
thia; in nostris enim modernis mappis itidem haec nomina
eodem fere modo invicem intermixta sunt, sicut in Peutinge-
riana. e. gr: Quadi et Fritugi. Certe quidem distinctio illorum
supra dictorum nominum erronea et portentosa est, verum non
calliditati auctoris, sed ignorantiae descriptoris est tribuen-
da. Nonne commentator noster ipse fatetur, quod nomina Cha-
mavi quiel pranci, potius Chamavi, qui et Franci legenda
sint? Procul dubio namque descriptor l loco t et p locof legit.
Haec et alia plurima sphalmata commonstrant tabulum nostrum
non autographon, sed apographon esse. Queritur solum, an ip-
sa haec tabula tam juvenis sit, ut apographon Colmariensis
illius, quae anno Chr: 1265 conscripta fuit, jure dici possit. So-
lutio hujus questionis nullinde, nisi ex modo literas exarandi
peti posse videtur. Commentator quidem in hac disquisitione
exceptionem a foro quaerit; ait enim: „Supereset in praesentia
veteris examen scripturae, formarum scilicet, quibus charac-
teres vocabulorum in his nostris membranis Peutingerianis

expressi conspiciuntur. Verum quemadmodum calami per pe-
tuo mutantur, tantaque est manuum sensuumque varietas, quan-
ta hominum; ut Baringius ex Bartholino sapienter opinatur,
quare quilibet suo genio litat, suo modo docet, et scribit, ita
certe, si temporum regionumque ratio habeatur, non facile in
controversiam revocabitur, quod eadem regio varios characterum
ductus semper produxerit. Ego vero supervacaneum esse arbi-
tror, nos probare debere, quod characteres variarum aetatum
distingui facile queant. Antiquitatum scrutatoribus istud
non est ignotum; tales itaque haud difficile dignoscant, an
Tabula Peutingeriana fructus IVth saeculi sit. Commenta-
tor Scheyb. vero omnem viam id distinguendi praecludere vel-
le videtur; quare enim: „quid si clicam, quod hae membranae pe-
nicillo, qui ex natura sua formas longe alias, quam calamus
eadem quoque manu ductus efformat, quin immo a variis
pictoribus, et scribis, sint exaratae et adumbratae? Respon-
deo, eum falli. Libet inspicere tabulam ipsam! Flumina
et aliae picturae fors penicillo sunt adumbratae, literae ve-
ro omnes calamo sunt exaratae, non pictae. Quod vero variae
manus rem elaboraverint, non est veritati consentaneum;
commentator id quidem nunquam demonstrare poterit, quam-
quam theoriam literarum statuere conetur, quum ait: „ve-
rumtamen si tabulam, cum quibuslibet saeculi Naut V scrip-
tionibus comparemus, etiam ex eo nihil contra illius anti-
quitatem adstrui posse existimo, siquidem i sine puncto, s
longum, m lunatum, x caudatum, um abbreviatum inveni-
emus. At exstat in Roma subteranea inscriptio duas li-
teras i cum punctis exhibens. Est quidem haec puncta-
tio antiquis insolita; sed simul quaero: cur in commentatoris

nostri delineatione virgula supra i, fere ubique in Tabula adhibita plerumque ommissa fuit? — i longum quidem Tabulam argueret esse valde antiquam, sed, ut id valeat, oportet, ut in minuta scriptura omnia s. longa essent: rotunda vero et longa mistim adhibita sunt, certissimum indicium discriminis inter XII et XIII seculum; itaque, ut quo plures rotundae litterae sunt immixtae, tanto evidentius scriptura in XIII seculum sit rejicienda. An in lunatum tempore Theodosii obtinuerit, non disquiram; noverit solummodo commentator in nostra ^{tabula} nulla in lunata reperiri, sed partim intorta partim annularia. x quidem caudatum, sed variarum figurarum. Figura caudati x, quae in Tabula exstat, ad scribendam est seculo XII vel XIII. In un abbreviato est adtendendum, quomodo facta sit abbreviatio. Timuit haec in re commentator multum immorari, querens potius viam, qua objectionibus diplomaticis efugeret; post quae tandem effatur: „quidquid porro ac, qui rerum diplomaticarum aestimatores statuunt, ego certe ausim haec adferre meam opinionem, quod nimirum perspectis argumentis in Cap. II allatis scriptura tabulae nostrae itinerariae non ex M. S. codicibus, quorum vix ullus ex primis aetas nostrae seculis usquam deprehenditur, verum ipsimet coelices M. S., si tam vetusti ullibi reperirentur, ex ipsa nostra Theodosiana tabula sint elijudicandi. Obellum exemplar egregiae artis criticae! Tabulae Puttingerianae iudicis partes tribuuntur, adeoque nulli subest ipsa disquisitioni. Parum quidem abest, quin tribunal conscendisset; nam primum nobis est videre, argumentum commentatoris eo tendere, ut adferat: demonstrandum quidem esset tabulam esse opus aevi Theodosiani, demonstratio tamen; eam esse opus ejus aevi, quia ipsa opus est ejusdem aevi. Tam videamus quid prosint argumenta — Cap. II. Allata! Concedamus ea valere, nil tamen aliud inde sequitur,

quam autographon Theodosiani esse seculi; an vero haec tabu-
la sit istud idem autographon, an ejus apographon; an hoc
apographon itidem Theodosiano aeo sit confectum, an alio,
semper erit quaestio, quam sola theoria literarum dirimere po-
terit. Diremte hac quaestione alios cōdices dubios ad hoc e-
xemplar exigemus. At dicis: non exstant tam antiqua exem-
plaria, ad quae scriptura Tabula nostrae exigi posset. Hic,
hanc curum me suscipere. Quo anno? anno Chr: 393 dicis.
Quae ratio scribendi literas hoc aeo fuit? Dicam: unciales li-
terae, et minusculae currentes fingeantur. — Anno 393 ais?
Ergo scripturae ratio inter epitaphium Gaudientia, et interdi-
plomata Ravennatica est reponenda. Quod si ita est, commen-
tator rem estorsus, cui nunquam operam prius navaverat. Fi-
gurae literarum, quae in nostra tabula reperiuntur, sunt inter
alias hae: ^{in hac et u u u} H, M, E, T, W, Z. Observa hic commentatorem figuris
in et ih plane non novisse. Urbs Interamneum hac abbrevia-
tione scripta est; verum nomen ei erat cetera notum, ~~et ibi~~
~~hanc rem~~ ob rem in dīci suo id nomen inseruit, citavit illud ta-
men ad literam N. Alibi, credens I in Tabula esse deletum,
nobis illud I signo deletionis adposito ante n adposuit. —
IH, aut Ili ei eisdem peperit manes; legit enim Hierusalem
loco Hierusalem vel Therusalem; figuram alio loco eandem
N esse credidit; hoc pacto loco Hiericho legit Mericho. Omnes
istae figurae infinitis locis seculi XIII visere licet. Ante tem-
pora Caroli Magni eas ego nusquam vidi, neque puto me
urguam visurum; primo quidem, quia adversantur formae
singularum literarum illius aevi; tum quia non respondent
rationi illo aeo usitatarum figurarum, quia illis tempori-
bus literae invicem innectebantur ita, ut ultima pars literae

prioris efficeret initium sequentis. Hoc idem reperire fas est
in epitaphio Gaudentis, id est sexaginta annis ante præter-
tos natales nostrae Tabulae. Hoc idem reperies in diplo-
mate Ravennati et Longobardico. In figuris ih et in pla-
ne litera posterior intexta est priori, ita ut, nisi rem diplo-
maticam calleas, et aliis notis non commonearis, facile il-
las figuras unicam esse literam credas. Figura in commen-
torem induxit, ut diceret, etiam Græcas inesse literas
Tabulae nostrae; nam ubi NSVLA scriptum est, legit ipse
NSVLA, et quidem abbreviatum. De figura g novimus
ex testamento Julii Caesaris, eam ad hæc tempora non
pertinere. Sigla Twix exemplum ante XI sæculum reperi-
re licebit. Hisce enim diebus scriptor diligens Walther edi-
dit primarias substantiales formas characterum, unde sub-
sequis temporibus tot variae formae enatae sunt. Sigla Ull
Tabulam nostram penitus in XIV sæculum cogeret; animad-
verte tamen, eam ibi adparere, ubi u, priori u subjunt-
tum, litera vocalis est; quo loco istud teutonicum W novis-
simo ævo notum fuit, viæque sæculo XIII tribui poterit
tempus ejus natale. Figura g hodiecum usitata, est anti-
qua; non adsequitur tamen ævum Theodosii, necque ei
congruit. Argumento sit, quod in Codice Hilariano et in
Livio Augustae Bibliothecae Vindobonensis illo clemum sæcu-
lo primum hæc sigla comparet, quæ hoc modo h, ~~xxxxx~~
~~illxxxxx~~ ~~xxxxx~~ effecta est. Tantum abest, ut sigla g sit antiquior,
quam sigla h, unde illa ortum ducit.
Dubitamus tandem, utrum Tabula nostra endomiis digna
sit, quæ ipsi Cap: IV tribuuntur. In hac editione omnes er-
rores correcti fuisse dicuntur; at forsitan novi fuerunt com-
missi. Jam ideo timere licet, quod commentator scriptu-

rem peritas non noverit; quod medio aevo usitatissimum
Ζ sit ipsi ignotum. Fol: I Index: quod esse putat aut Hippi-
nicum, Anglicum, et Orientale Th, aut italicum ch, aut Angli-
cum Sh, Dz vel zh. Maxime triste vero est, quod quum discri-
men inter h et z non noverit, eorum nullum item fecerit discri-
men atque h loco Ζ posuerit. Quae hinc etymologiae nascentur
difficultates, facile quisque conjicit. Id quod de sigla Ζ cer-
te scimus, est, quod nomina ipsam continentia non sint Roma-
na, sed Barbara. Quum vero in editione Tabulae nostrae,
haec sigla male sit tractata, nil aliud restat, nisi, ut edi-
tor nomina, quae h vel Ζ continent, de novo ad exemplar su-
um exigat, et in lucem edat; atque malo, cui auctor fue-
rit, ipse medeat. ~

Rukopis se je našel v knizi Perlingeriana Tabula
itineraria s. r. n. 10581. (red. 1942).

1 strana prim. ČJ KZ 4, 1924, 161.